



**I**ohannes apud Belgas natus, & à pueris in bonis literis educatus fuit. Cum autem prima literarum fundamenta iecisset, sese hinc inde ad Academias contulit, & liberalibus artibus diligenter incubuit. præsertim uerò Historiarum studio delectatus: in ijs adeò profecit, ut doctissimis Historicis connumeretur. Postea Dauentriam peruenit, & eius Ecclesiæ præpositus electus fuit. In eo uitæ statu antiquorum historicorum libros euoluit, & cum præsentium rerum facie magna sedulitate contulit, ita ut multis rebus lucem attulisse uideatur. Vnde sua eruditione cunctis bonis innotuit, & sibi magnum nomen comparauit. Cum

etiam anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Maximilianus Ferdinandi filius Franckoforti Cæsar declararet, Ioannes hisce solennitatibus interfuit, & ut omnia acta erant, ordine descripsit. Hinc factum ut sua industria eò peruenerit, ut Germaniæ uiris claris adiectus hoc loco fuerit. Anon.